



Perillustri & Excellentissimo

**A N T O N I O
M A G L I A B E C H I O,**

Consiliario & Bibliothecario Ma-
gni Ducis Hetruriæ celeberrimo,

Patrono honoratissimo

S. P. D.

GEORGIVS WOLFFGANGVS WEDELIVS.

Nondum memoria excidit
humanissimus affectus &
gratia Tua, quibus ignotum
& immerentem devincire dignatus
es. Humanitatem cum aliis com-
):(mu-

munem expertus sum ; Gratiam
verò singularem seorsim in me non
deriuatam, sed effusam.

Illam enim miris modis depræ-
dicarunt non pauci, quibus vel co-
ram experiri id licuit, aditu per Te
patente ad rarissimum orbis litera-
ti sacrarium, vel commercium li-
terarum tecum intercedit ami-
cum ; hanc condignis celebrare
verbis *imparem me agnosco.*

Aliquot elapsi sunt anni, cum de-
sideraremus pro vsu publico Biblio-
thecæ Ebn sinæ opera Arabica, sum-
ptibus Medicæis superiori seculo
excusa, quibus Serenissima fami-
lia incredibile iuuandi literas
stu-

studium æternitati commendauit.

Forte ad Te detulerat desiderium hoc meum amicus, cum interim Velschianum exemplar comparasset sibi Academia, ibi vero emicuit statim generosus inseruendi aliis ardor, expromptus in Germanos fauor, laudatissima in me gratia.

Enimvero ista occasio mihi cessit in beneficium, non semel testato affectu, præsto esse exemplar Ebnsinæ Tuum, quod ad me mitteres, imo vrgente, vt quorsum mittendum foret, innuerem.

Ego sane gaudere primum, quod immerito beneficio obrutum me sentirem, sed dubitare, an recepta-

re

re id auderem, an renuere. Quid
multa? Obtinui donum amplissi-
mum tantoque magis æstimandum,
quod tanto locorum interuallo de-
latum, nullo sumptu meo, domui il-
latum sit. A deo enim liberalitas Tua
summa, a deo humanitas eximia in
exemplum cesserat fauentibus aliis,
vt concatenatum videretur vel
consummatum potius beneficium.

Glorior ergo hoc dono, lætor
hoc affectu, obstrictus hac gratia
Tua, & ab eo vsque tempore in id
incubui, vt tanti fauoris, erga igno-
tum, exterum, alienum, exhibiti &
oblati, aliquod statuerem monu-
mentum.

Red-

Redhostire id non valeo, demereri annitar, dilaudare allaboro. Dudum Germania nostra decantat laudes Tuas & virtutes, nec vna cessat inter reliquas dissitissimas terras cognitam famam ampliare suo applausu.

Ego vero tot modis deuinctus, & *ne cogitans id quidem*, nedum promeritus, tacere vltius dubitaui, nec potui, quin publicam gratæ mentis tesseram sistam.

Sacratas nomini illustri Tuo volo AMOENITATES MATERIÆ MEDICÆ, vtinam amoenitatem, quam vultu spondent, & reuera oblaturas! Sit hoc testimonium sincerum non
):():(tam

tam gratitudinis meæ, quam con-
giarii Tui excellentissimi, vt publici-
tus pateat, quantum & me & alios
solitus sis in admirationem rapere.

Deus Te seruet! Vir celeberrime,
vt serus in coelum redeas, & inter-
pres Musarum publicus vniuerso
orbi facem porrigas ad illustranda
æque ac noscenda scriptorum do-
ctissimorum arcana, ad Tuæ famæ
immortalem splendorem. Deus Te
seruet! Dab. Jenæ e museo 1684. d. 22.
Febr.

PRÆ-